



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epitome In Qvatro Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi**

**Spina, Claudius de**

**Parisiis, 1551**

11. de custodia angelorum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38840**

DE CVSTODIA AN-  
gelorum.

DISTINCT. Vndecimæ

CAP. Vnicum.

*Vnaquæque anima custodem vnum  
angelum habet.*

*mar. 18.* **V**eritas in Euangelio à pusillorum scan-  
dalo prohibens, ait: Angeli eorū sem-  
per vident faciem patris. Angelos dicit  
eorum, quibus ad custodiam deputati sunt.

*To. 9.* Super quem locum Hieron. dicit: Magna  
dignitas animarum est, vt vnaquæque ha-  
beat ab ortu natiuitatis in custodiã sui An-  
gelum delegatum. Gregorius quoque dicit,  
quòd quisque bonum Angelum sibi ad cu-  
stodiam deputatum, & vnum ad exercitium  
habet. Bonus Angelus datur, vt hortetur ad

*Tho. 5.* bonum: sicut legitur de Angelo Thobiæ, &  
*6. & 8.* Angelo Petri in Actib. Apost. Malus, vt de-  
*act. 12.* hortetur à bono.

*CAP. Secundum. Vnus idem Ange-  
lus, bonus vel malus, pluribus homini-  
bus deputatur ad custodiam vel ex-  
ercitium, pluribus temporibus,  
vel eodem tempore.*

**O**portet dici vnum eundem Angelum,  
bonum vel malū, pluribus hominibus

*f. 92. b.*

f. 102. a. l. 5

*Secundum  
successionē  
temporis vni  
angelo plu-  
res homi-  
nes depu-  
tari.*

*Secundum  
idem tem-  
pus vni an-  
gelo plures  
homines in  
custodiam  
deputari.*

deputari ad custodiam vel exercitium, siue eodem tempore, siue diuersis temporibus.

Cum enim tot sint electi, quot sunt Angeli boni: & Angeli boni sint plures, quam mali, & plures sint homines mali quam boni: non est ambiguum plures esse homines bonos, quam sint mali Angeli: & plures esse homines malos, quam sint boni vel mali Angeli. Igitur quilibet malus homo non potest singulariter habere vnum Angelum bonum: nec singuli homines, tam boni quam mali, singulares Angelos bonos ad sui custodiam, vel malos ad exercitium specialiter deputatos: sed vnus bonus Angelus custodit plures, & vnus malus exercitat plures. Nec est mirandum vnum Angelum pluribus hominibus ad custodiam deputari, cum vni homini plurimum custodia deputetur: ita vt eorum quisque suum dicatur habere dominum, vel Episcopum, vel Abbatem.

CAP. Tertium. Probabilius est An-  
gelos in scientia & aliis  
proficere.

*Opinio.*

Quibusdam visum est Angelorum me-  
rita augeri, eo quod hominum pro-  
fectibus student: & premia, quia  
eorum augetur dilectio & cognitio. Alij au-  
tem dicunt Angelos in confirmatione, tan-

ta summæ deitatis dilectione atque notione  
fuisse præditos, vt in eis vlteriùs non pro-  
fecerint, nec profecturi fiat. Profecerunt  
tamen in scientia rerum exteriorum: sicut  
in cognitione sacramenti Incarnationis, &  
huiusmodi: sed non in contemplatione dei-  
tatis, quia Trinitatem in vnitatem, atque vni-  
tatem in Trinitate non plenius intelligunt.  
ita & in charitate dicuntur non profecisse  
post confirmationem: quia eorum charitas  
postea non est aucta. & sic dicunt eos non  
profecisse in meritis: sed hoc quantum ad  
vim merendi, non quantum ad numerum  
meritorum: quia plura bona fecerunt post-  
ea, quæ tunc non fecerant.

cap. 63. Quòd enim proficiant in cognitione,  
ac per hoc in beatitudine, testimoniis San-  
ctorum confirmatur. Dicit enim Esaias ex  
persona angelorum Christi ascendentis ma-  
gnificentiam admirantium, Quis est iste  
qui venit de Edon, tinctis vestibibus de Bos-  
ra? & in psal. Quis est iste Rex gloriæ? Qui-  
bus constat Angelos plenius cognouisse  
mysterium Verbi incarnati post impletio-  
nem, quàm ante. Idemque docet Apосто.  
Eph. 3. Quæ sit dispensatio sacramen-  
ti absconditi à seculis in Deo: vt inno-  
tescat multiformis sapientia Dei per eccle-  
siam, principibus & potestatibus in cælesti-  
bus. In quem locum dicit Hierony. Ange-

licas dignitates prefatum mysterium ad pu-  
rum non intellexisse, donec completa est  
passio Christi, & Apostolorum prædicatio  
per gentes dilatata. Quâuis in eundem lo-  
cum contradicere videatur August. dicens:

*Obiectio.*

Non latuit Angelos mysterium regni cælo-  
rum: sed illis à seculis innotuit: quia omnis  
creatura non ante seculum, sed à seculis  
est. ideo ad conciliationem illorū illustrium  
doctorum, dicendum, Haymonem sequen-  
do, vt illis Angelis, qui maioris dignitatis

*Super  
gene.  
lib. 5.  
cap. 19*

*Dilutio.*

sunt, & per quorū ministerium illa nunciata  
sunt, ex parte cognita à seculis fuisse, vtpo-  
te familiaribus & nunciis: Illis verò qui mi-  
noris dignitatis sunt, incognita extitisse di-  
camus, vsquequo impleta sunt, & per eccle-  
siam prædicata: & tunc ab omnibus Angelis  
fuerunt perfectè cognita. Cōstat itaque om-  
nes Angelos in cognitione ac scientia di-  
uinorum mysteriorum secundum processum  
temporis profecisse. Vnde non incongruen-  
ter ipsi ijdem dicunt Angelorum scientiam  
ac beatitudinem augeri vsque ad futuram  
cōsummationem, quando in scientia ac bea-  
titudine ita perfectissimi erunt, vt nec au-  
geatur amplius vel minuatur. Quòd si pro-  
feratur aduersum hæc quod ait Isido. lib. de  
sum. bon. Angeli in verbo omnia sciunt an-  
tequam fiant. Et Grego. lib. Dialogorum  
ait: Quid est quòd ibi nesciunt, vbi scientem

*Angeli omnes ab initio non æque mysteria no- uerunt.*

*Alia obiectio.  
Dilutio.*

*lib. 1.  
cap. 10  
ca. 33.*

omnia sciūt: sed dicitur quòd Isido. nec oēs,  
nec oīa perfectè Angelos scire dixit: & ideo  
eos in scientia proficere nō remouit. & ver-  
bum Grego. accipiendum est de his, quo-  
rum cognitio beatum facit cognitorem: vñ  
sunt ea quæ ad mysterium Trinitatis & vni-  
tatis pertinent.

*Oratio.*

## DE CORPORALIS

creaturæ conditione, & pri-  
mò quantum ad mate-  
riale principium.

DISTINCT. Duodecimæ  
CAP. Primum.

*Materia informis præcessit tempore di-  
stinctionem rerum.*

*Su. ge.*  
*lib. 1.*  
*cap. 15.*  
**Q**uamuis quidam tradiderint (vt & sen-  
siffe videtur Aug.) omnia simul in  
materia & forma creata fuisse: sunt alij ta-  
men (vt Greg. Hiero. & Beda) quorum sen-  
tentia scripturæ Geneseos magis congruere  
videtur, qui asserunt materiam primam ru-  
dem atque informem, quatuor elementorum  
commixtionem complectentem, primò crea-  
tam: deinde ex illa materia per interualla sex  
dierum rerum corporaliū genera fuisse for-  
mata secundum species proprias: sicut osten-  
dit scriptura Geneseos, quæ dicit in principio  
deum creasse cælum. i. Angelos: & terram,

*Cap. 1.*

○